Dissertatio medico-oeconomica de brutorum morbis vulgo Vieh-Seuchen ... / [Liborius Christianus Engel].

Contributors

Engel, Liborius Christianus.
Fürstenau, Johann Hermann, 1688-1756.
Universität Rinteln.

Publication/Creation

Rintelii : Typis Johannis Godofredi Enax, [1733]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/xeey2bcn

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

21

DISSERTATIO MEDICO-OECONOMICA
DE
BRVTORVM MORBIS
VVLGO
Vieh = Seuchen

PRAESIDE

D. IO. HERM. FÜRSTENAU

PRIMARIO MEDICINAE ET OECONOMIAE
ORDINARIO PROFESSORE
H. T. FACVLT. MEDIC. DECANO
IN ILLVSTRI
PROPTER VISVRGIM ACADEMIA
DIE XI. IVNII CIↃ IↃCCXXXIII
H. L. Q. S.
PVBLICO ERVDITORVM
EXAMINI EXPOSITA

CIↃ IↃ

A

LIBORIO CHRISTIANO ENGEL
HAGA - SCHAVMBVRGICO
MED. ET PHIL. CVLT.

RINTELII
TYPIS IOHANNIS GODOFREDI ENAX
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

ILLVSTRISSIMO. AC. CELSISSIMO.
DOMINO.

DOMINO.
ALBRECHTO.
WOLFFGANGO.

S. R. I.
AC. SCHAVMBVRGI. LIPPIAE. ET. STERNBERGAE. COMITI. REGENTI.
ORDINIS. REGII. BORVSSICI. CVI. AQVILA. NIGRA. INSIGNE. EQVITI.
POTENTISSIMORVM. BELGII. FOEDERATI. ORDINVM. LEGIONIS. PEDESTRIS. CHILIARCHAE.
RELIQVA.

PATRIAE. PATRI.
ET. DOMINO. SVO. LONGE. GRATIOSISSIMO.

SPECIMEN. HOC. ACADEMICVM.
VT. SE. ET. STVDIA. SVA. ET. FORTVNAS. SVAS. HVMILLIME. COMMENDET.

SACRVM. ESSE. CVPIT.

LIBORIVS. CHRISTIANVS. ENGEL.
MED. ET PHILOS. C.

Q. B. V.

DE BRVTORVM MORBIS.

I.

Non dubito fore plerosque, qui hoc genus ſcripturae, quod de vitiis, quibus animantium genus obnoxium eſt, exponit, leve & non ſatis dignum iis, qui ſervandorum hominum profitentur diſciplinam, judicent. Sed hi erunt fere, ut cum eodem CORNELIO NEPOTE pergam, qui nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conveniat, putabunt. Hi ſi didicerint, non eadem omnibus eſſe honeſta

d. vit. excell. Gr. Imp. praef.

atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis, adde & ſeculi praeſentis genio judicari, non admirabuntur, me in brutorum morbis exponendis utriusque & priſtini, & praeſentis ſeculi mores eſſe ſecutum. Ad Mulo-medicinam, quam & veterinariam & graeco idiomate κτηνιατρίαν appellant, communiter refertur, quicquid ad morbos in vario brutorum genere vel cognoſcendos, vel curandos ſpectat. Quam ut poſt HIPPOCRATEM, THEOMNESTVS ABSYRTVS, TIBERIVS, DEMETRIVS, DIOPHANES, ANTOLIVS, VEGETIVS, COLVMELLA, RIGALTIVS, ANGELVS BARGAEVS, AVRIFABER, RVSIVS, JO. RVELLIVS, graecorum hujus argumenti commentatorum fidus interpres, peculiari quisque & opera & juſtis commentariis complexi ſunt, ex quibus deinceps rerum oeconomicarum ſcriptores pleraque hauſere, ſuisque deinde locuis inſeruere; ita non deſunt, qui cum LINDANO, PLEMPIO & LAVREMBERGIO cuncta viventia ſubjectum medicinae eſſe affirmantes veterinariam a profeſſione ſalutari non adeo multum differre, atque utramque a medicorum filiis exerceri poſſe & debere, haud obſcure innuunt, exemplum ſecuti medici quondam Siculi doctiſſimi, JO. PHILIPPI AB INGRASSIAS, qui Mulo-medicinam in multis cum noſtra proprie dicta medicina convenire, hancque propterea ad illam pertinere, adeoque unam eandemque artem cum illa conſtituere, ſingulari libro oſtendere conatus, utramque etiam profeſſus eſt. Sed plerique meliora edocti ad elegantiam, ad gravitatem Medici pertinere exiſtimant, ad vilia

ejus-

ejusmodi ad ſordida, quale eſt veterinariae exercitium artis, neutiquam deſcendere, vel quod cum HERMANNO CONRINGIO, operationes hominis longe diverſas eſſe a brutorum operationibus, & propter has ipſas corporis partes, indeque ſanitatis & curandi rationem utrobique non poſſe non diſtinctam eſſe exiſtiment; vel quod jure vereantur, ne Mulomedici ejusmodi paria faciant cum illis, quos tum dicentes, tum facientes omnia ad delectandum, vulgi exiſtimationem venantes, etiam ſatellites ac ſcurras inter coenandum agentes GALENVS graphice deſcribit; noſtro hoc ſeculo tanto magis metuendum rati, ne vel ob medelam brutis animantibus praeſtitam medici cum arte ſua fabula forte evaderent.

Intr. A.M. c. I. V.

Praenot. c. I.

II.

Quod ſi tamen ad ea, quae officium tangunt Medici paulo attendamus circumſpectius, illud deprehendemus in ſanitatis non minus praeſentis conſervandae ac ejusdem amiſſae recuperandae ſtudio verſari. Ac ſi quando ad officium ſpectat Medici, cauſas amoliri morborum procatarcticas, nullae certe occurrunt frequentiores, quam in eo quem ſingulis momentis hauriunt, aëre, & alimentis, quibus fluxam hanc vitam ex inſtituto divino, non ſine labore ſuſtentant mortales. Ecquid vero crebrius contingit, quam atmoſphaeram noxiis pecudum morboſarum effluviis contaminatam valetudini humanae infeſtam reddi? Ecquid clarius, carnes ab animalibus morbidis deſumptas ſi non ſimile, aliud certe & pe-

pejus non raro malum in corpus humanum inferre? quod ut praeclare ROSINVS oſtendit LENTILIVS; ita Medici eſt genuini, ſalus civium, quae ſanitate potiſſimum abſolvitur, ne quid detrimenti capiat, quovis modo proſpicere, & quae eo faciunt, artes ſubſidiarias, alto neutiquam ſupercilio contemnere. FRANCISCVS DE LE BÖE SYLVIVS Medicus quondam in Batavis clariſſimus, quid ſentiat hiſce prodit verbis: „ Victus cibo potuque conſtans, & ex vegetabilibus „ animalibusque inprimis petitus, non crudus ſem- „ per aſſumitur, ſed praeparatus & alendo corpori „ aptior arte factus: quae artificioſa victus praepa- „ ratio tam in prima vegetabilium cultura, collectio- „ ne & aſſervatione, quam ultimo eorundem, ut & „ animalium apparatu conſiſtens cum Medicinae „ ſubſit regimini, non video, quo jure artes illis fa- „ mulantes, agricultura, molaris, piſtoria, coquina- „ ria, & ſimiles ſubducere ſe queant ejusdem Medi- „ cinae gubernationi. Harum in numero cum & veterinaria locum tueatur, de ejus exercitio & cultura ſobrie prae reliquis philoſophatur JO. BOHNIVS, Medicus certe graviſſimus, quid circa eam licitum ſit, quidve decorum, hiſce indicans verbis. „ Quem- „ admodum in ſe minus perperam egerunt HIPPO- „ CRATES, DEMETRIVS, COLVMELLA, in conſcriben- „ dis de re veterinaria libellis, ſic nulli noſtri aevi „ vel Medico, vel Philoſopho indignabor, ſi paria „ tractet, & experimenta hujus generis vel propria, „ vel ab aliis tradita in communem utilitatem colli- „ gat atque edat. Neque his, quod neminem cujus-

Miſcell. Med. Pract. II. p. 509. ſeq.

Or. de Cognit. Hom. XLIII.

cujusvis conditionis dedecet, vitio vertam, si re- „ *L. I. de offic. Med. c. IV. p. 73.*
rum oeconomicarum studiosi, vel suis, vel amico- „
rum, vel aliorum, Magnatum aeque ac ruricola- „
rum pecoribus, & quibusvis animalibus domesti- „
cis morbosis, quasi aliud agendo prospiciant, re- „
media innuendo, diaetam dirigendo &c. Sicut „
autem nec HIPPOCRATEM, nec alios hujus generis „
scriptores olim ζωιατρίαν exercuisse evinci potest, „
nec de ullo tot seculorum forsan Medico constat, „
qui sordidius hoc opus vel lucri, vel gratiae Ma- „
gnatum causa in se susceperit, aliisve suaserit, quin „
potius eos omni studio dehortarit: pariter nec „
ullius Medici cordati verique existimationi con- „
gruit, κλυνιατρίαν administrare, multo minus bestiis „
clysteres injicere, obstetricari, similemve chirur- „
giam facere. „

III.

Quae cum ita sint, non opus equidem erit, exemplis e recenti memoria petititis, Medicorum alacriter in hoc studio decurrentium autoritatem pondusque dicendis conciliare, cum si vel maxime a Medicorum studiis experimentisque alienum esset, id, de quo disputatur, argumentum, illud saltem ad oeconomicam disciplinam tanquam ad forum spectet proprium, vel hoc solo nomine paulo curatius fusiusque excutiendum. Sed nec Medicos aevi nostri praestantissimos ab hoc abhorruisse negotio, doctissimorum virorum G. E. STAHLII, R. I. CAMERARII, F. HOFFMANNI, B. RAMAZINI, C. N. LANGII Lucernensis, & J. KANOLDI Vratislaviensis laudanda evin- *d. freq. aegrot. in C. H. prae brutis.*

de Lue Vaccar. Consil. de lue Boum. de Contagiosa epid. de Lue pestif. animal. MSt. d. lue an. Cornig. & in Annal. Vratisl. passim.

evincit industria, in epidemica animalium cornigerorum & contagiosa lue, hinc vero & aliis brutorum morbis & enodandis & eradicandis occupata. Et luem quidem istam pestiferam animalibus inprimis cornigeris infestam ab anno seculi undecimo longe lateque sparsam & nunquam deinceps prorsus silentem in variis Europae locis magnam sparsim stragem fecisse, cum autopsia, tum observationum fide constat. Ac licet de origine ejus vera & prima praeter conjecturas nihil occurrat, in aërem aliis, calore & siccitate peccantem, & adustum inde pabulum, aliis in rorem nebulasve noxias & pestiferas, in merum aliis contagium sensim sensimque propagatum culpam rei conferentibus; ita morbum istum de acutorum & contagiosorum esse genere, una est intelligentium sententia; horripilatione, aestu, nausea, siti, virium prostratione, alvique & urinae suppressione, similibusque symptomatibus satis id evincentibus. An vero Variolarum nomine sigillatim, quod Cl. CAMERARIO placuit, indigitandus veniat? plerique dubii haerent, uno tamen ore confitentes, non nisi his aut similibus pustulis erumpentibus salutarem morbi eventum sperandum esse. Ejusmodi vero ulcuscula cum in ore quoque & sub lingua vaccarum serpentia & magnam ejus partem depascentia in morbis ejusmodi contagiosis saepius observentur, ad eorumque absterſionem & mundificationem peculiaria instrumenta ex argento aut alio viliori metallo fabrefacta inventa sint, qualia, una cum succincta mali enarratione in ANNALIBVS PHYSICO MEDICIS de-

d Lue Vaccar. d. Variol.

1720. Jan. p. 68.

descripta et iconibus expressa prostant; memoratu omnino dignum est, anno abhinc proxime exacto rumorem de ejusmodi ulceribus sublingualibus vaccarum, & lue adeo contagiosa subtus latente, in nonnullis quidem locis, praesertim Belgio vicinis, ut in novellis MERCVRE HISTORIQVE ET CRITIQVE dictis, relatum accepimus, neutiquam falsum, in nostris autem oris, quae Summi fuit benignitas Numinis, plerumque vanum deprehensum longe lateque increbuisse, ejus vero occasione rumoris instrumenta superioribus per omnia similia, & quinquaginta abhinc annis lue ejusmodi animalibus cornigeris infesta pariter praesente feliciter usurpata, una cum documentis fide dignis, in locis nonnullis vicinis reperta esse.

1724. *Mart.* *p.* 278.

Janvier & Fevr. 1732.

IV.

Haec vero perniciosa brutorum inprimis cornigerorum lues, ut magnam passim cladem, & ingens rei familiari damnum intulit, ita rerum naturalium scrutatores exinde clare satis cognovere, febrium, saltem acutarum inter bruta proventum, non plane non, neque certe rarissimis & vere dubiis exemplis observari, sicut Cl. STAHLIO quondam visum est. Quo eodem autore vix notae sunt inter bruta nobis notiora haemorrhagiae, quae humano generi familiares quando laboriosius succedunt, magnum numerum aliorum incommodorum & praeter naturalium affectuum his parturiunt: a quibus justa & reali consequentia propterea libera sunt bruta, quoniam ab illorum fonte, haemorhagiis eorumq; mo-

l.c. th. 8.

Th. 9. 19.

„ moliminibus abſunt; ita peculiarem differentiam
„ hic habent brutorum foemellae ab humanis, quod
„ iſtis menſtruae haemorrhagiae incognitae ſint,
„ adeoque etiam varia alia morborum genera, quae
„ mulieribus ex hac radice pullulant, brutis minus
„ pariter obtingant. Quae ut ſuo loco merito relinquuntur, ita domeſticis notus eſt experimentis mictus in vaccis cruentus, qui quod Majo praecipue menſe & quando armenta ad paſcua ſua redeunt, recenti ut ſatientur gramine, lues inde majalis vulgo die May-Seuche appellari conſuevit; eamque multis ſaepe aliis ſymptomatibus ſtipatam & periculi plenam eſſe, tum experientia conſtat, tum in MISCELLANEIS MEDICO-PHYSCO-MATHEMATICIS alia inter, videre eſt. Ad ſingularia vero merito refertur, quod ibidem de Dyſenteria Apum commemoratum legitur; cum de reliqua apum valetudine pro tempeſtatum inprimis ratione varia, tum in iisdem ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS, tum apud VIRGILIVM, non pauca notatu digna occurrant. Hic nimirum oeconomicarum rerum peritiſſimus vates, morborum in apibus occurrentium diſcriptionem ita inchoavit:

1729. *Maj.* *p.* 301.
1718 *Mart.* *p.* 801.
1718. *Jun.* *p.* 1185.

Georg. L. IV.

Si vero (quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo,
Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis.

Idem vero & ovium, & vitulorum, & canum & ſuum & equorum, aliorumque animantium vitia enarraturus hiſce initium fecit verbis:

Mor-

Morborum quoque te causas & signa docebo
Turpis oves tentat scabies
Et quae sequuntur prorsus egregia.

Georg. L. III.

V.

Videlicet, ut familiariores sunt brutis squalores cutis & foeditates ulcerosae scabiosae, ita hoc inprimis in genere valet ovillo; cujus causas apud modo laudatum Poëtam graphice satis expositas deprehendimus. Sed vero & tumores oedematosos & hydropicos, & atrophias, ac tusses a manducatione foeni pulvere limoso polluti, & aëre nimis sicco & calido oriundas, in ovillo genere, ipsosque vermes in eorum cerebris non raro reperiri, tum a doctissimo STAHLIO, tum in ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS observatum extat. Similibus vero & symptomatibus tabidis & verminosis ex iisdem fere causis & gallinas & anseres non raro obnoxios esse, ibidem annotatum occurrit. Ut vero gallinas polypo quoque cordis, & hydrope ovarii aliisque tumoribus internis, passim obviis & laborasse & interiisse, ex iisdem ANNALIBVS discimus; ita haud vulgaria sunt, & circumspectam merentur attentionem, quae de anseribus junioribus in Borussia gregatim, aquae innatantibus, sed brevi omnibus quasi turbine submersis, ejusdemque causis phaenomeni ad mentem variorum variis, eodem loco passim commemorata non sine voluptate legamus licet. Ut taceamus, quae de hepatis & vesiculae felleae tumore ad crepaturam usque anseribus funestam ibidem sunt notata.

l. c. th. 10. 1723. *Jan. p.* 41. 1720. *Jun. p.* 673. 1718. *Jun. p.* 1179. 1724. *Maj. p.* 551. 1725. *Dec. p.* 651. 1726. *Maj. p.* 566. 1718. *Jul. p.* 1394. *Sept. p.* 1658. 1719. *Febr. p.* 195. 1720. *Aug. p.* 218. 1719. *Oct. p.* 460.

1726. *Mart.* p. 344. De Columbis non ſine magna veri ſpecie eodem aſſeritur loco, nullo vel ratione alimentorum, vel tempeſtatum obſervato hactenus diſcrimine, lumbricis easdem frequentiſſime infeſtari, idemque in noctua ibidem viſum eſt, quod ut repetitae ſaepius experientiae & autopſiae merito relinquitur, ita longum foret, ſi pathologiam animatam comparatam pro rei dignitate excutere animus eſſet, cum praeter ſues et canes, & oves & gallinas, juxta modo dicta, & lupus ipſe, voraciſſimum animal alius generis animalia peregrina in ſinu fovere deprehendatur, ſicut eodem narratur loco, viperas in renibus luporum eſſe viſas, & ſi J. DOLAEO credimus, cauſam voracitatis in lupis Medici quidam Gedanenſes, putant eſſe verniculos, quos in Glandulis ventriculi hujus animalis reperere.

1720. *Nov.* p. 544. 1721. *Oct.* p. 390. *ep. IV. ad Waldſmid.*

VI.

Ut vero in his & aliis brutorum generibus vermes ſaepenumero generantur; ita nec deſunt calculorum in iisdem ſponte generatorum exempla, quo nomine praeter rupicapras in oriente aeque ac occidente conſpicuas, et famoſum officinis lapidem bezoar foenerantes, porcos item orientales ſpinoſos ſ. hyſtrices, famigeratum iſtud exoticum, piedra del porco ſuppeditantes, equi inprimis commemorandi veniunt. Neque vero Neapolitani tantum equi concretionibus ejusmodi obnoxii ſunt, uti H. JORDANO pridem viſum, ſed & in noſtratibus idem frequenter admodum contingere, tum J. H. SLEVOGTIVS dudum oſtendit, tum in ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS, me-

L. III. d. Peſte tr. 3. c. 9. Progr. Jen. 1725. *Nov.* p. 556.

memorabili exemplo confirmatum legitur, nullumque eſt dubium, quin longe frequentiora ejusmodi paradigmata futura ſint, modo equorum morbis denatorum frequentiora inſtituerentur extiſpicia, quale Vitembergae quondam ab A. BRENDELIO & nuper admodum Pariſiis inſtitutum accepimus, neque Hafnienſes Medicos ab eodem abhorruiſſe conſtat, quos equi regii morbum non minori ſtudio indagaſſe, quam anatomen ejus poſt obitum adornaſſe, in ACTIS MEDICIS HAFNIENSIBVS legas licet. Calculos vero iſtos in equorum inteſtinis repertos, vel etiam foras excretos quos hippolithos vocant, a Bezoar lapide non multum differre, ſaniores plerique cum A. LIBAVIO, J. CRATONE, H. JORDANO ut apud J. HORNVNGVM videre eſt, exiſtimant. Quin lapides „ quoque in maxillis equorum concreviſſe, ABSYRTVS, non illaudatus artis veterinariae Medicus „ autor eſt. Ita quoque quaedam morborum ge- „ nera nobis cum brutis ſunt communia, „ ut J. LANGIVS memoriae prodidit „. Sunt vero & alii, iique numero complures equorum affectus p. n. quos ut penes oeconomicarum ſcriptores rerum, juſto, ut par eſt, ordine deſcriptos, ita quod ad nonnullos ſigillatim, internos pariter & externos, & luem inprimis epidemicam germanis mauke dictam attinet, in ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS enarratos offendimus. Atque ut plura dantur oculorum in equis vitia, ita & attentionem meretur RICHARDI LOVVERI obſervatio de vitio in oculo equi hactenus non detecto, quodque in ſpongioſa excreſcentia, tunicae uveae con-

1671. II. 12.

Ciſt. Med. ep. LXVI.

L. II. ep. LXII.

1720. *Mart. p.* 302. 1725 *Mart. p.* 261.

Act. philoſ. 1668. *Febr. p.* 500.

consistit, & nutrimentum humidius pro causa agnoscit, a medicamentis vero & alimentis siccantibus si non tollitur, tamen mitigatur.

VII.

Convulsiones rarissimi inter bruta esse exempli, quodque de alitibus quibusdam & de alce inter quadrupedes narrant, fabulae propius esse, quam observationibus, quotidiana experientia confirmatum Cl. autumat STAHLIVS. Canem tamen domesticum, fidum, vetustum, extremo pede mutilum, vomitu & motibus variis spasmodicis saepius, quin & ipso interdum paroxysmo-epileptico laborantem post A. RHODIVM notavit D. Praeses, idque ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS inserendum curavit. Rabies vero ipsa ut canes maxime prehendit, ita nec feles, porcos, boves, equos, camelos, ursos, pardos, simias, viverras mustelos, lupos, nec gallos gallinaceos ab eadem immunes esse; sed ista affectos morsu aeque ac canes aliis nocere, communis rerum usus loquitur, exempla vero a ZACVTO LVSITANO, J. SCHENCKIO, G. F. HILDANO, T. BARTHOLINO aliisque notata & a STALPARTIO VAN DER WIEL collecta confirmant. Rabies ista ut hydrophobiam plerumque comitem & pedissequam habet, ita suo docet exemplo, inflammationibus & quae eandem consequi solent, suppurationibus aut sphacelationibus faucium, aliarumque partium, & ipsa bruta pariter ac homines, obnoxia esse, sicut illud ipsum ex sectione cadaverum lue praedicta contagiosa denatorum abunde pariter elu-

Cent. I. *Obs.* 59. 1728. *Mart.* *p.* 936.

Cent. I. *Obs.* C.

elucescit. Hisce vero ut & frigoribus immensum quantum minus, quam homines laedi, & quidem non tam sola majore male & robustiore textura conspicua, sed plane exilia avicularum exempla, Vir Summus, doctissimus STAHLIVS non dubitat asserere. Laedi tamen, D. CONRAD testis est, qui accipitrem gelu enecatum secuit, in cujus corde, aliisque visceribus glaciem veram & liquoris congelati partes vidit. Idem in sanguine vitulino pullorum & galli indici congelatis separationem partium talem conspexit, ut seri glaciati moleculae hinc inde apparerent, reliquo sanguinis corpore coagulato tantum & densiore ac crassiore facto, ut penes R. LENTILIVM annotatum prostat; qui & ipse, Nosologiam piscium a G. H. VELSCHIO inter desiderata Medicinae jure referri, ostendit, quando de piscium morbis non multos scripsisse autores, meminit, excerptis ex GERMANORVM EPHEMERIDIBVS selectis de lue piscium epidemica observationibus. Ac quando C. F. PAVLLINI omnia animalia, terrestria, volatilia, aquatica & reptilia verminosa esse, in specie vero balaenas pediculis laborare, affirmat, illud memorabili exemplo, a phtiriasi piscium rhenanorum, maxime percarum petito confirmatum eodem loco non sine voluptate legamus licet.

l. c. Th. 16. 17. 20.

Diss. d. Frig. c. 6.

Eteodr. Med. Pr. p. 46.

Somn. Vindician. l. c. p. 1337. seq.

Dec. III. An. V. VI. Obs. 171. 203.

d. morte verm. §. II.

VIII.

Nulla nos cogit necessitas, plura ut morborum in brutis obviorum coacervemus exempla, præsertim cum ex dictis abunde constet, nullum fere morborum genus esse, quod non in brutis frequentius aut

aut rarius occurrat, nullamque brutorum dari ſpeciem, quæ non his illis morbis obnoxia degat. De cauſis igitur horum & ſimilium vitiorum brutis familiarium, potius ſolliciti ſimus oportet. Quo quidem loco non tam cauſas proximores, occultas quidem illas & a ſenſibus remotas, quam remotiores & manifeſtas paulo curatius circumſpicere e re noſtra erit. Neque vero de rationis, quin & ſi nonnullis credimus, ſenſuum, aut ſenſibilitatis ſaltem, & affectuum enormiorum carentia in brutis, quam cum doctiſſimo STAHLIO plures hodieque unicam frequentiae morborum in hominibus prae brutis cauſam habent, multum laborabimus, cum exempla magno ante numero prolata, hoc non obſtante, morbos in brutorum genere ſatis eſſe frequentes, ſatis evidenter evincant. Ad clariora vero & ſenſibus obvia quando animum & cogitationes applicare animus eſt, BERNHARDINVS RAMAZINI in boum

l. c. th. 22. ſeq.

l. c. p. 20.

„ cadaveribus, quotquot laniorum ſeceſpitae lue
„ iſta contagioſa inter armenta ſaeviente ſubjecta
„ fuere, coram Excellentiſſimis Anatomes Profeſ-
„ ſoribus D. MOLINETTO & VISCARDO id ſingulare in
„ omnibus repertum eſſe, commemorat; in omaſo
„ nempe corpus quoddam durum & compactum,
„ ventriculi parietibus fortiter adhaerens, magnae
„ molis & intolerandae graveolentiae; in aliis vero
„ partibus repertas eſſe hydatides, in cerebro, pul-
„ monibus, ut & ingentes veſicas ſolo flatu plenas,
„ quae diſſectae diram mephitim exhalarent, ulcera
„ in radice linguae, & ad illius latera veſiculas ſero

ple-

plenas. Illud vero corpus durum & compactum „ ad instar calcis, quod in omaso observatur primum „ esse productum contagiosi miasmatis, pro certo „ habet, dum tacite saevitiem suam exercens stomachicum fermentum labefactat & corrumpit. „ His si conferamus, quae in aliis regionibus Curlandia praesertim & Bavaria anno 1722. 1723. & 1724. in cadaveribus lue ista contagiosa extinctorum animantium sunt observata, deprehendemus praeter pulmones putridos ingentem canalis alimentorum a faucium isthmo ad crassa usque intestina extensi variis tuberculis, ulcusculis, inflationibus, stigmatibus, conspicuam laesionem, ipsamque vesiculam felleam bile torrida plenam, feces vero alvi valde induratas repertas esse, uti in ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS relatum extat. Ad causas vero remotiores porro pergentibus praeter pabulum noxium & aquas forsan paludosas, aër ante omnia accusandus videtur, non quod mox luis epidemicae initio notabili quodam vitio aut impuritatibus ad generationem ejus sufficientibus sit inquinatus, tale quid enim, neque in hominum, nec in brutorum ista peste sollicita observatorum industria hactenus detexit, cum quae hic allegari solent phaenomena, non nisi ex cadaveribus diu inhumatis relictis, temporis demum tractu aërem inquinantibus, sint arcessenda, sed quod manifesta qualitate, nimia v. gr. siccitate praeditus, pascua nimis arida & pulverulenta reddendo & necessario hinc humido pabuli vehiculo defraudando aut rore maligno turgidus ansam lui praebet, vel

1724. *Mart.* *p.* 272. *April.* *p.* 397.

quod venti ſimili qualitate imbuti ſimilia mala brutis in ſtabulis degentibus & aërem liberum non expertis tacite quaſi afflent, vel quod contagii fomitem & vehiculum conſtituat, quod etiam de contagio, mediantibus bubſequis, & illorum veſtibus armentis illato valet, cum laudati modo RAMAZINI elogio: „ peſti volupe ſit in lana molliter cubare. „ Qua vero ratione contagium iſtud primo generatum fuerit, non magis conſtat, quam quomodo rabies primitus producta ſit. „ Neceſſe tamen eſſe, quemad- „ modum in libro de contagione tradit FRACASTO- „ RIVS, ac pariter IOSEPH AROMATARIVS in libro de „ rabie contagioſa, idem ille Autor clariſſimus exiſtimat, „ quod ad aliquod animal tandem ſit deve- „ niendum, in quo productum ſit morboſum ſe- „ minium.

l. c. p. 17.

p. 20.

IX.

Singularium porro affectuum in brutis occurrentium cauſas plane interdum ſingulares non attinet pluribus exquirere cum ex ſupra dictis haud difficulter colligi poſſint, &, ſi a morſibus venenatis, aliisque injuriis externis, nativa item, & ſenili imbecillitate diſceſſeris, ad aëris, quorſum & contagium ſpectat, & pabuli rationes pleraque commode referantur. Signa vero horum omnium, & ſi quae ſunt, plurium in brutis vitiorum, rei familiaris pariter ac naturae ſcrutatores, tanto majori ſtudio inveſtigare par eſt, quod animantia loquela deſtituantur, qua quid doleant, quid velint, quid nolint, ſignificare poſ-

poſſent. Id quod eleganter iterum, quem modo laudavimus, expoſuit autor, qui poſtquam ſymptomata luem iſtam epidemicam antecedentia & comitantia enarraſſet, qualia ſunt frigus, rigor, horripilatio, mox calor cum pulſus frequentia, magna anxietas, & gravis anhelitus, etiam cum ſtertore & in principio febris ſtupor & ſpecies quaedam veterni, continuus ex ore & naribus graveolentis materiae deſcenſus, foetidiſſima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia & abolita penitus ruminatio, puſtulae quinta vel ſexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum ſpeciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam & ſeptimam interitus, haec quidem, pergit ex ſe patent, quid vero intus patiantur miſerandi boves, cum jacent anxii ac ſtertentes, ac dum ſtant immoti, capite usque ad terram demiſſo, conjectare equidem poſſumus, ſed ex mutis animantibus, quae per nutus nihil ſignificare poſſunt, nil certi reſcire poſſumus, quod forſan in cauſa eſt, ut difficilior ſit curatio. „ Et horum quidem epidemicorum aeque ac ſporadicorum in brutis animantibus conſpicuorum affectuum fere omnium difficilem patet eſſe prognoſin, ut ſi leviora & tranſitoria quaſi excipias mala, medelam vix ac nec vix quidem admittant, id quod non niſi ex difficili diagnoſi derivandum videtur. An vero dira iſtiusmodi pecorum lues humanis quoque corporibus labem aliquem affricare valeat, ſi quaeras, idem ille reſpondet autor: Si in morbis malignis, qui ratiocinia noſtra perſaepe elu-

p. 13.

p. 14.

p. 23. „ eludunt, quidquam ponderis habent rationum „ momenta, ſperare licet homines intactos & illae- „ ſos relicturum eſſe; etenim ſi trium menſium ſpa- „ tio lues iſta alia ruminantia & cornigera non atti- „ git, quamvis inter ea magnus ſit ſymboliſmus, nec „ equos, ſues, ac alias ſylveſtres feras hactenus quid- „ quam laeſit, non apparet ratio, cur homines, qui „ ab iſtis animantibus tam longe diſtant, debeat affi- „ cere. Quod ſi vero experientiam veram rerum magiſtram conſulamus, exempla in utramque partem proſtare, deprehendimus. „ Nam & peſtem

Dec. 5. L. 1. c. 22. „ magnam in boves ingruiſſe, ſequenti anno ad ho- „ mines vertiſſe, LIVIVS memoriae prodidit, eam ve- „ ro, quae primo equorum boumque armenta in- „ vaſit, mox pecudes & alia quadrupedia aggreſſa „ eſt, deinde paſtores & colonos attigit, & totum „ romanum agrum pervagata eſt, peſtem urbem

L. 9. L. 1. d. Contag. c. 12. „ tandem invaſiſſe, DIONYSIVS HALICARNASSEVS autor eſt. HIERONYMVS VERO FRACASTORIVS 1514. diram peſtem in ſolos boves irrepſiſſe, & magnam eorum cladem edidiſſe, hominibus prorſus intactis & ſalvis manentibus, refert. Sed noſtra opinor memoria, etiamnum conſtat, circa idem fere illud tempus, quo dira iſta lues in bruta irrepſit, peſtilentiam ipſam veram ex oriente allatam magnam paſſim ſtragem edidiſſe, variis litterarum monumentis de utraque & brutorum & hominum peſte ab anno ſeculi nono promulgatis, ſatis id evincentibus. Ita

Hiſt. Humor. Gen. c. 2. pariter carnes animantium morboſorum noxias, an innoxias, quod attinet JO. THEODORVS SCHENKIVS, olim

olim decertatum venetiis & Patavii refert inter la- „
niones & incolas, quod illi ex Hungaria boves ad- „
vectos emtos & mactatos in macello venditassent, „
quos tamen cives lue quadam infectos fuisse nove- „
rant, cum fluxu alvi cruento tentati plurimi periis- „
sent, translato nimirũ ab uno ad alterum contagio. „
Hac de re consulti Medici Patavini in ea fuere sen- „
tentia, carnes hujusmodi esui adhibitas innoxias „
esse, eo quod esset contagium particulare & speci- „
ficum, ac omnis malitia fuisset emendata ac discus- „
sa a praevia agitatione gymnastica, antequam bo- „
ves mactentur. „ Contrariam vero sententiam
Medicos sustinuisse venetos, eo quod carnes hujus-
modi essent contagiosae & cadaverosae, C. F. GARMAN- *d. Mort.*
NVS tradit. Quibuscum cum paria facit supra lau- *Miracul.*
datus R. LENTILIVS, carnes ejusmodi non sine ra-
tione prorsus insalubres, & noxias pronuncians.
Ac si manuscriptis artis lanionum documentis a B. *l. c. p. 26.*
RAMAZINI citatis fides habenda, 1599. adeo gravem in
boves pestem Patavii grassatam deprehendimus, ut
publicis Augustissimi Senatus veneti edictis vetitum
fuerit, ne caro bubula, caseus recens, butyrum, lac
sub capitali poena in ista civitate divendi possent, sed
solis carnibus vervecinis vesci liceret. Quae ut
tuendae valetudini egregie prospiciunt praecepta, ita
FABIO PAVLINO, Medico Uticensi ab eodem laudato *p. 29.*
nemo facile assentiet, qui, si necessitas urgeat in ci-
bum carnes ejusmodi vocare, sale aut aceto prius
probe esse macerandas, visceraque cum alias intera-
neis esse abjicienda voluit, cum in iis causae morbi-
ficae

ficae focus & nidus exiſtat. Ac fallor an quae de Lanionibus morbis acutis malignis, & frequentius at periculoſius affectis experientiae fide nixa, in GERMANORVM EPHEMERIDIBVS, & MISCELLANEIS MEDICO-PHYSICO-MATHEMATICIS leguntur, alias inter cauſas, effluvia quoque noxia ex animantibus recens mactatis jugiter interdum exhalantia agnoſcant.

1700. 1729. *Jun.* *p.* 359.

X.

In Cura tandem morborum brutis familiarium epidemicorum aeque ac ſporadicorum, ad experientiam in ratione tamen fundatam res omnis plerumq; redit. Quare cum omnium fere iſtorum malorum praeſidia ab oeconomicarum ſcriptoribus rerum COLERO, B. DE HOHBERG, DE VELDECK, DE ROHR, TIMMIO, BECHERO, aliisque longa ſerie enarrata hic repetere ſupervacaneum ſit, nonnulla tantum auxilia ſelecta, & repetitis confirmata experimentis ſuppeditabo. Equidem multi remediis magicis aut ſuperſtitioſis ſaltem inhiant & delectantur; ſed horum cum difficulter ratio reddi queat, rectius quidem illi ſentire videntur, qui rebus ex triplici Naturae regno petitis urgente neceſſitate ingeſtis, aut exterius applicabis brutis aegrotantibus medelam parare ſtudent. Hic vero cum vegetabilibus, ſcordio, plantagini, ſcabioſae, floribus bellidis, radici angelicae, ariſtolochiae rot. cichorii, valerianae, leviſtici, gentianae, mille folio, baccis lauri, juniperi, myrrhae, camphorae, pomis citri integris, & quae ex his conficitur, theriacae diateſſeron & ſimilibus ad curandos

&

& praeſervandos brutorum morbos epidemicos & contagioſos multi multa tribuant, alii ex adverſo, bruta hiſce nimiam adſuefacta cauſati, ex regno potius minerali auxilia petenda, & ſal commune, nitrum, antimonium ſulphur, pulverem pyrium & ſimilia adhibenda ſuadent, uti in ANNALIBVS PHYSICO-MEDICIS videre eſt, alii utrumque hic regnum combinandum cenſent, qua ratione elegantia plane & uſu probata remediorum genera ibidem & ab HOFFMANNO laudata occurrunt. Phlebotomiã uno ore omnes commendant, ut & Setaceum, de quo alios inter idem expertos B. RAMAZINI teſtatur, unum e multis, cui in collo factum fuerat Setaceum, ſuperſtitem & incolumem manſiſſe bovem lue infectum. Ita & fauces infectorum pariter ac ſanorum animantium diligenter luſtrandas, & aceto, ruta, ſale communi nitro & olivarum oleo perfricandas eſſe, una eſt intelligentium ſententia. Ad reliqua vero brutorum animantium & ſporadica vitia varia a variis commendantur auxilia: ita radicem ſymphiti, ſeu conſolidae majoris & cydonia ad ſecundinam & impuritates a partu relictas expurgandas, variaque alia in vaccino genere mala, domeſticis experientis commendari, & non ſine fructu uſurpari, toto die videmus; ita & aqua, in qua ova ad duritiem ſunt cocta diarrhaeam & ſimilia vitulorum vitia a laeſa digeſtione prima orta prompte tolli conſtat; quando vero ad eadem & ſimilia primae digeſtionis in pullis ſymptomata coagulum lactis, vulgo laff, in aliorum vitulorum ſtomachis poſt mortem repertum commendatur, id auxi-

1724. *Mart.* *p.* 274. *April.* *p.* 397. 1718. *Sept.* *p.* 1590. *Med. Conſult. P. II. app. l. c. p.* 16.

auxilii genus cum ſanguine urina emiſſo & admictum cruentum laudato paria facere, utrumque autem curam ſympatheticam redolere videtur. Ad vermium variis in brutis proventum, ſupra commemoratum mercurialibus qualibet forma adhibitis non datur valentius praeſidium. Porcis vero qualibet de cauſa male habentibus, ut & equis ſulphur vulgare, & antimonium crudum, toto die cum fructu exhiberi, conſtat. In morſu ab animante rabido inflicto, inciſionem aurium & caudae, ſubmerſionem in aqua & ſexcenta alia fruſtra uſurpata, ſed remedium ignotum, quod tamen nummum argenteum vel cupreum fuiſſe, credibile eſt, fruſtis duobus panis butyro illiti incluſum mane cum fructu uſurpatum novi. Sed hiſce diutius immemorari, neceſſarium non erit, cum reliqua ex Scriptoribus Oeconomicis haud difficulter hauriri poſſit. Quare & cum potiſſimum rei momentum in praeſervatione conſiſtat, id agendum ſedulo erit, ut lue quadam equorũ vaccarum, aut ovium praeſente, roris, ventorum qualitates & noxii tractus probe obſerventur, & ingenti rei familiaris commodo, a ſtabulis
l. c. p. 12. arceantur, quod F. HOFFMANNI eſt conſilium. Praeterea vero & cum potiſſimum per contagium propagetur malum, omni ope eo niti decet, ut commercium omne ſanorum cum infectis quolibet modo impediatur, hiſce vero morbis denatorum cadavera locis ſubterraneis, incultis, ut pratis arationi non ſubjectis profunde effoſſis, & a conſortio hominum & animantium remotis ſepeliantur. Hic vero

ne

ne ſolutis in liquamen cadaveribus aëris infectioni & contagii regenerationi anſae praebeatur, PETRI FORESTI, Medici quondam in Batavis clariſſimi placet conſilium, is enim peſte Delphica ſopita & coemiterio templi antiqui cadaveribus repleto, una cum collega Cornelio Ericio a Senatu conſultus, quid in hac re faciundum eſſet, cum alii calce ac caemento coemiterium obducendum eſſe proponerent, alii, ut lapidibus ſterneretur, conſuluit, ut terra obduceretur ſemine graminis in eam conjecto, ut demum creſcente gramine ſpiracula clauſa minime erumperent, quo gramine admodum denſe excreſcente terra ſolidior facta, minus hæc lues denuo ſuppullularet; quod quidem conſilium ſecuti cum eſſent, peſtis nullo modo rediit.

S. D. G.

Corollaria.

I. *Nihil dicitur, quod non ſit dictum prius.*

II. *Ingenii humani vis diverſa a textura corporis repetenda eſt.*

III. *Intellectus puri paucissima, non tamen nulla dantur exempla.*

IV. *Animae Humanae essentia non consistit in cogitatione.*

V. *Omnia corpora, etiam ad sensum quiescentia, moventur.*

VI. *Perinde est, utrum unicum, an plura admittantur rerum elementa.*

VII. *In Sanguine Humano omnia elementa continentur.*

VIII. *Nutritio hominis adulti nihil aliud est, quam continuum effluvium ejus, quod vix dum appositum erat.*

IX. *Sudor an sit excretio naturalis*

an

an p. n. & violenta, lis eſt facile componenda.

X. *Idem de haemorrhoidibus judicandum, quae a nonnullis pro excretionibus naturalibus, ab aliis pro p. n. habentur.*

XI. *Pleraque fiunt ſecundum, nonnulla praeter, pauca ſupra naturam, nihil vero fit contra naturam.*

XII. *Et ſimplicia et compoſita movent & moventur.*

Angelicam faciem Medicus habet, is qui vocatus
Ad aegrotantem, commoda multa parat.
Angelicam ſortem, & quaevis digna brabea
Exactis ſtudiis, ſuavis amice, precor!

PRAESES.

Audax Aſſertor veri, decus atque cathedrae,
Jam Te doctorum ſcandere roſtra juvat,
Brutorum morbos, cauſas pariterque daturus
In lucem, pondus ſuſcipis atque grave.
Hinc de primitiis & coeptis gratulor aequis,
Me monet pietas nectere vota Tibi:
Te Deus incolumem ſervet per tempora longa,
Damnoſos morbos arceat atque procul:
Opto Tuis ſtudiis Benedicat Rector Olympi
Ut tandem morbos pellere rite ſcias.

Haec pauca DOMINO RESPONDENTI
in amicitiae teſſeram poſuit

N. W. CVHN, HOMBERGA-HASSVS,
MED. STVDIOSVS.